

in causa ipsam inter & Eleonoram de Ribera vertente. In fol. tacitis pro illius temporis consuetudine in similibus scriptionibus typographo & anno. Habetur tom. 46. Collectionis D. Ludovici de Mendoza: *in fol. tacitis*

107 P. ALPHONSUS DE MENENDEZ, Natione Mexicanus, Patria nobis incerta, JESU Societati ex animo datus, quatuor nuncupatis votis, probatorum non modo in virtutibus religiosum virum decentibus, sed pro Philosophiâ & Theologiâ in publica Universitate tradendis gradum meritò tenuit. Postquam Grammaticâ incubuit, edocendâ & Rhetoricâ, Philosophiam in Collegio Queretarenfi professus est; alijsque deinceps ministerijs Deum & animas concernentibus in Maximo Provinciâ Collegio operam dedit, ægra etiam valetudine non parum vexatus. Scripsit præter

Latinas Prolusiones, & Conciones hispanas, hoc eodem sermone,

Concentrationem poeticam in nascentis JESU plausum Favi Symbolo expressi Anno 1713. Extat in Libro ad id argumenti destinato in Bibliothecâ dicti Collegij Maximi

Cursum Philosophiæ, Summulas, Logicam, Physicam, Metaphysicam, Animasticam complectentem. Exemplaria Mss apud Discipulos inveniuntur.

108 FR. ALPHONSUS DE MOLINA, Natione Hispanus, cujus Patria nos fugit, reticentibus ipsam TORQUEMADA & BETAN-

CURTIO, qui res ejus accurate scripsere: Domicilio & studijs Mexicanus: Admodum puer in Americam nostram adductus à parentibus, paucis à subjugata Mexico annis, quo tempore innumeros inter Indos Urbem inhabitantes nesciosque idioma hispani, Mexicano uterentur necesse erat, qui cum eis agebant Hispani; quotidiana ille facile consuetudine Mexicanorum linguam imbibere potuit, & verò etiam adeo breviter ea uti cœpit & eleganter, ut, teste BETANCURTIO, infusa cœlitus quam usu potius comparata à multis dicta fuerit. Recens appulsi Mexicanas oras Apostolici primiduo decem è Franciscanorum gremio Prædicatores, ubi docendi vastissimos Populos provinciam suscipere, interpretibus cum egerent, Alphonsumque puerulum observarent extranei idioma peritissimum, matrem ejus rogarunt, eum ut ipsi tradere vellet, quandoquidem alter sibi filius domi manebat, à qua libentissime oblati Religiosis, deprecatoribus, ductus in Monasterium fuit, habitumque induit Franciscanorum more. Convenientibus in triclinio Patribus lector ipse aderat, exeuntes pro Indorum catechesi comitabatur, Magistros Fidei linguam docebat, ut subinde ab hoc in alium aliumque Conventum duceretur, pro ut ministerio illi opus erat, quoungebat.

109 Votis suo tempore solenniter nuncupatis in Cœnobio

Me-

Mexico, Religionem professus, doctusque sacras litteras, & Sacerdos effectus, egregiè de Provincia S. Evangelij, quæ tunc coalebat, & de tota Mexicana Natione meritus est. Nam & Indos è suggestu sacro supra quinquaginta annos docuit, maximo ipsorum profectu, qui mores Magistri doctrinis admodum conformes cernebant, austeramque vitam admirabantur: Et eorundem Doctores, scilicet Apostolicos viros, pro ad discendo idiomate multis quidem adjuvit, & viva voce & scriptis subsidia ipsi præbens opportunissima, primus omnium qui in Artem redegerunt Mexicanum idioma, Dictionariâq; conscripserunt. Orationem in delicijs habuit, humilitatem in tanta doctrinâ copia ex animo coluit, paupertatis amator divitias cœteraque Mundi bona nihili fecit: uni Dei gloriæ inhæbat, salutemque proximorum quærebat, propriæ insimul studio virtutum incumbens. Tandem longâ infirmitate probatus, ad cœlum, ut pie creditur, evolavit 31 Martij 1558. ut in BETANCURTIO legimus; sed corrigendum existimamus errorem Amanuensis, aut Typographi, forte pro 1585. scribentis 1558. Nam quod & ipse BETANCURTIUS, & pridem TORQUEMADA constanter teneant, annos quinquaginta Nostrum prædicando insumpisse, quorum initium ante 1535. vix capi potest, cum venientibus Provinciæ Fundatoribus 1524 pue-

rulus esset, nec statim Religiosis adscriptus, habitum licet indutus, ut in ætacula illa solet devotionis officio, sit quinquaginta prædicationis annos ante 1585 neutiquam absolutos, emortualemque proinde hunc eundem habendum Nostrum, cujus corpus in Maximo Franciscanorum Mexicano Conventu quiescit. Multa, cæque utilissima scripsit & edidit, videlicet

Artem lingua Mexicanæ. Mexici, apud Petrum Valli 1576 in quarto.

Aliam editionem Mexicanam affert Bibliotheca Franciscana, scilicet de anno 1571. in octavo, tacito nomine Typographi, quæ nos latet.

Dictionarium Hispano Mexicanum. Mexici 1555. in quarto, & ibidem typis Antonij de Espinosa 1571. in fol.

Dictionarium Mexicano Hispanum. Eodem Typographo, & anno in folio.

Confessionale maius. Mexici, ex Officina Antonij de Espinosa 1565 in quarto.

Confessionale minus utraq; lingua Mexicanâ & Hispanâ. Eisdem typis & anno, in quarto, ut habentur in Bibliothecâ Regij Augustiniani Collegij Divi Pauli.

Doctrinam Christianam, seu Catechismum idioma Mexicanæ. Mexici Formis Petri de Ocharré 1578. in quarto, & iterum Hispani, ex Typographia Francisci Perez 1584 in quarto cum Approbatione Cardinalis de Quiroga, Archiepiscopi Toletani, Quæstitoris Generalis

Fidei in Hispania. Extant in eadem Pauliana Bibliotheca. Alias adducit editiones Franciscana, nimirum Mexicæ 1564 & 1606. in quarto. Quæ sequuntur opuscula etiam edita fuisse testatur TORQUEMADA, & ex eo F. JOANNEI A. S. ANTONIO, quarum exemplaria non vidimus, scilicet

Vitam Seraphici Patris Francisci.

Pro Eucharistia receptione preparationem.

Evangelica totius anni.

Officium Beatissimæ semper Virginis Mariæ.

Orationes precesque multas.

Meminerunt Authoris, præter citatos & D. Nicolaum Antoniũ, Gonzaga, Arcturus, Uvadingus Franciscani, quos in sua Bibliotheca adducit citatus Fr. Joannes à S. Antonio, quos addimus Dominicanum P. Fernandez, in Historia Ecclesiæ nostri temporis pag. 67. & Abaream in Orbe terrarum Scriptorum calamo delineato, verbo *Mexicus*. Item D. Antonium de Leon Pinelo, in Bibliotheca Occidentali addita col. 726 ubi advertit, quod jam Torquemada monuerat, Officium B. V. idcirco prohibitum esse, quod vulgari, quæ Mexicanorum est, lingua veri id non liceat.

110 ILLMUS. D. ALPHONSUS DE LA MOTA, Episcopus Angelopolitanus, Mexici natus est, ut collatitia tenent suffragatione qui de illustribus ortis Mexici viris mentionem fecere, PP. MEDINA, BETANCURTUS, & alij, quibus per-

petua omnium traditio nostrum adstipulatur, contra sententia viro clarissimo nobisque archillimæ vinculis amicitie conjunctissimo, Magistro FR. JOANNE DE VILLA SANCHEZ, Dominicano, in Vita S. Agnetis à Monte Policiano typis excusa, scribente cap. 27. pag. 137. in ditione Angelopolitana natum Alphonsum, quem admodum puerum Ecclesiæ inservisse illi docet, quam grandævus pavit & rexit, secutus virum iidem nobis charissimum, valdeque eruditum D. DIDACUM BERMEDEZ DE CASTRO, in Theatro Angelopolitano, de quo suo loco non pauca dicemus. Quod tamen diversa sentire, ut dicitur, incolum semper licuit amicitia, ab Amicis, eorum pace, hoc in puncto discidimus, cum alijs pergentes, quorum & si nos moveat antiquitas communi juncta existimationi, gravius multo rapit testimonium accuratissimi TORQUEMADA tom. 3. Indicæ Monarchiæ lib. 19. cap. 31. § penultimo scribentis, natum Mexici Nostrum, cui cum esset æqualis, eoque scriberet tempore, quo ille Angelopolitanam sedem regebat, haud simile vero videtur natale ejusdem solum necuisse, cum Principum Patria, qua præsentem tempestate, solcant esse lippis etiam & tensoribus notæ. Nec morari in eo volumus, quod Alphonus puer Angelopolitanæ intercivierit Ecclesiæ, quamquam difficile id nobis videatur, scientibus dedisse operam litteris

in Conventu Mexicano primario imperialique Prædicatorum Ordinis, ut ejus & Provincia Historiographus F. ALPHONSUS FRANCUS monet in citata jam Historia Mss lib. 1. cap. 47. quo loci nobilissimam Alphonsi progeniem, egregiam doctrinam, in regendo prudentiam, multaque alia decora ejus expendit. Nolumus tamen propterea domicilio illum obstinato subducere per id ætatis Angelopolitano: Ita per nos liceat, sit enim non raro, ut in teneris annis commigrent aliqui, proque ipsorum severiori educatione parentes curent à patrio in extraneum solum transferri, quo forsità Nostri prospexerint genitores. Nec quod primigenia familiæ bona in finibus extant Angelopolitanis, argumentum est nobis, ut ibidem cyanabula Nostri figamus, cum persæpe Mexicani divites fundos hereditarios longe constitutos habere solcant.

111 Alphonsum porro D. Antonius de la Mota & Escobar, & D. Francisca de Orduña & Luyando, conjuges nobilissimis conspiciu familijs genuerunt; prius vero sororem ejus Paulam, quæ Sanctimonialibus, à Conceptione nuncupatis, professione addicta, à S. Hieronymo fuit appellata. Est quidem Monasterium illud omnibus quæ Mexici florent antiquius, & Paula è primis in id convolantibus sceminis, quas inter tanta cessit sanctitate, ut propterea quater in Abbatissam electa fuerit,

ipsa perpetuo reludante, quæ sibi vilesceret, ineptissimaque videbatur, cætera columba instar mansuetæ fellis experts atque malitiæ, pro ut testatur M. LUDOVICUS DE CISNEROS, in Historia Imaginis Deiparentis, nuncupatæ à Remedij lib. 2. cap. 4. fol. 94. prope finem. Alphonus à parentibus nobilissimis pie & liberaliter educatus, litteris operam dedit apud Patres Dominicanos, ut ipsorum Historiographus tradit P. ALPHONSUS FRANCO lib. 1. cap. 47. quibus fuit egregie devotus. Universalitatem statutis frequentavit temporibus, exactisque de jure, curriculum, Baccalaureatus gradus decersit, tantis in Philosophiæ & Theologiæ factis progressibus, ut decesset ipsi nihil pro Doctoratus apice nanciscendo; cui forsitan non inhiavit, quod sacris initiatus, & pro eximia, qua pollebat, idiomatis Mexicani facundiâ, doctrinâ haud vulgari, notaque probitate, destinatus fuerit Parochus, quod multos annos munus est prosecutus in Oppido Chiapa, cui ex eo tempore ad usque præfens inditum cognomen *de Mota*, idcirco quod Noster se ibi insignem præstiterit zelo, charitate, cæterisque virtutibus fulgens.

112 In Hispaniam postea se contulit, nec sine plausu à primarijs viris exceptus, Catholici beneficij Regis Decanus, factus est Ecclesiæ Michoacanensis, è qua eadem functurus Dignitate in Angelopolitanam, & demum in Me-

xicanam translatus est. Quo tempore Mexici agebat, munere eo post Pontificale primo conspicuus, amicitiam excoluit cum viro Sanctitatis fama notissimo, non longe ab Urbe S. Fidei Oppidum incolente, GREGORIO LUPECIO, quem invisere in pretio habebat, audireque Magistrum divino astatum Numine paucis multa docentem; ut propterea gravissimum de eo vita functo testimonium scripserit, quod ad ejusdem Causam Beatificationis procurandæ deductum fuit, & habetur in ejus Vita, à P. FRANCISCO LOSA conscripta, & pluries recusa cap. 38. Porro magna cum esset Alphonfi vita, scientiæ, & aliorum, quæ in Ecclesiarum ministerijs gesserat, meritorum estimatio, quam Philippus ipse II. Epistola ad Clementem VIII. data exposuit, affecturque ab AEGYPTO GONZALEZ DAVILA; postquàm Nicaragua Insulas reculsaverat, pro Ecclesia Guadalaxarensi die 22. Octobris 1597. destinatus Episcopus; deincepsque consecratus, clariorem se multò eo in munere præstitit.

113 Exemplo verbum, moribusque virum decentibus Apostolicum concione pijs juxta doctas que jungebat, quàm hispano sermone, quàm mexicano, pro ut varios in vastissima Diocessu auditores habebat. Ardúa aggressus itinera nulli unquam labori pepercit, modò suis se susteret ovibus deserta & asperrima incoleantibus

antra, universamque lustravit Provinciam, quæ barbaros in confinio plurimos habet, eorum iram minasque despiciat. Non longius erant à Topia dicti, qui barbariem exuri haud ita pridem, gentiumque simulacris calcatis, Baptismi lavacro se intingédos dederant, christiana dein sacra colentes: Quòd verò Hispani quidam Regijs obfistentes mandatis, avaritiæ litantes, miseròs in Argenti fodinis laborantes plus justo vexabant, jugum illi perferri durissimum, excutere id, & quod suave est, christianæ religionis, voluere, armati que in Hispanos irruerunt anno 1601. Præses Provincia Auditoresque Regij milites eo miserunt, rebelles qui compescerent, adigerentque vi ut in violatam utriusque Majestatis fidem revocarentur; frustra tamen & incassum, donec Alphonfus à Curia, in qua residebat, Novæ Galæciæ, destinatis primum ad illos nuncijs, deinde coram, superato itinere multo, egit ut respicerent. Mandavit quidem ad desertores strenuos Legatos, unaque, quibus utebatur, Michram & Annulum, seu pignora benignitatis remissionisque pro commisso scelere gravissima multa, quas se à Rege obtenturum pollicebatur. Et cessit quidem optimè cogitatio: nam hospitio & humanitate homines barbari exceperunt Nuntios Episcopi, plurimi ducunt pignora, quæ ille miserat, de ipsis obligata fide securi, maturantesque, gentis more, ad sequen-

quentem Lunam responsum. Hæc inter Alphonfus prope Topiam accesserat sexcentis militibus per asperrima loca decursis; illique procedentes è latebris, agmine facto, & Michram in altum sublatam, vexilli ad instar, fauste sequentes, in manus sese tradiderunt. Prælati, à quo humanissime excepti, & vestibus ac cibis donati, in pristinam obedientiam rediit. Grates ille Deo fecit sacris ad aras cantu operatus, indicatque gravi supplicatione; tum fervidâ Mexicanorum idiomate Indos concione hortatus, Hispanosque aliâ haud minus vehementi obtestatus, ut singuli se in officijs continerent, ad concordiam omnes attraxit.

114 Hæc ubi felicissime absolvit, ad meridiem progrediens, inselata barbaris, quos Tepeguanes dicunt, robore & ferocia horribiles, loca decurrens, substitit Oppido Papasquiato Hispanis jam dedito, Indisque Christianis, qui ibi habitabant, multis proxima solennissima Ascensionis Domini die prædicare decrevit, incredibili finitimarum gentium commotione, quæ Episcopum nunquam alias viderant. Accessere propterea non Fideles tantum, sed etiam Pagani multi, hosque inter Procures quinque, qui Provinciam circum omnem turbabant, bellandi gloria & martialibus gestis suos inter illustres. Alphonfus occurrentis Evangelium festi palam illis exponens Mexicanorum linguâ, Baptismi

necessitatem fructusque declaravit eximios, quibus per interpretem à Proceteribus illis, qui nesciebant Mexicanè, ut cumque perceptis, optantibusque salutaribus aquis intrinigi, Alphonfus reposuit, futuros bono animo; at voti ut fierent compotes, oportere prius instrui in unius veri Dei notitiâ, aliorumque Catholicæ Fidei, & Legis Evangelicæ mysteriorum salutis scientiâ, quam ut illos docerent, liberalissime tractatos, muneribusque affectos remisit ad Societatis JESU Patres non procul adstantes, à quibus tandem edocti, vehementius multò Baptismum aventes, statâ die solenni quidem pompa, suis ipse Alphonfus manibus lustralibus aquis perfudit, quibus effrati barbari mansuevere, per inde quasi lapidei vice cordis carneum fuisset ipsis suffectum, quod jam pridem Deus promisserat gentibus.

115 Cunctis sanè Alphonfus gratissimus erat, non ignaris tantum & ex infima plebe hominibus, sed nobilibus, doctis, gravibusque; omnia sese, Apostolum imitatus, omnibus faciens, singulorumque aut honori prospiciens aut commodo. Comitata per id tempus celebrata sunt Guadalaxaræ (quæ Civitas est Novæ Galæciæ Prima, Regij Auditorij sedes, Præsidis, atque Episcopi) à religiosis Observantiæ S. Francisci Patribus, qui unâ hæctenus cenfebatur Provinciâ Michoacanensi, domesticæque inter se longissime dis-

fita fortiebantur, alijs in Regno Galecia Nova, seu de Xalisco, alijs in Michoacanensi Regno Conobijs stantibus, eo consilio, ut quæ in Tolctano totius Ordinis generali Concessu sancta fuerat anno 1606. Provincia divisio, iure tandem fieret & ordine: qua secuta, electisque utriusque Provinciae Prælati, festivissimâ utraque & frequentissimâ supplicatione à Franciscanis ædibus ad Cathedralē Ecclesiam processere, sacra in prima Templi ara, Capitulo annuente, facturi, Nostrumque excepturi è pulpito dicentem, qui eruditionis & ingenij gazas explicuit multas, amplissimas commendans Familias, eisdemque ex animo gratulatus, ut memoria prodidit in Chronicis Michoacanensis Provinciae P. ALPHONSUS DE LA REA lib. 2. cap. 1. Anno nuper dicto 1606. Angelopolitano, seu, quod idem est, Tlascalensi Episcopo D. DIDACO ROMANO, Coadjutorem sibi poscente pastoralis officij, quod senectute gravis captusque luminibus, satis illi facere, ut hæcenus egerat, ultra nequiret, Noster est datus, futurusque Successor Apostolicâ autoritate. Rebus itaque Guadalaxarensibus expeditis, Angelopolim demum petijs, defunctoque DIDACO ROMANO anno 1607. succedens, totum se se impendit Ecclesie nuper sibi traditæ & amplissimo gregi, cuius ut consuleret in christianis juxta ac politicis rebus felicitati, magnificum à funda-

mentis crexit Collegium, quod à S. ALDEPHONSO appellari voluit, pro JESU Societatis Patribus, quibus alendis redditus consignavit, eximij inde in universam Diocesim fructibus promanantibus: Nam docetur in Collegij Aulis, Philosophia, singulis annis Cursum incipiente strenuo Magistro, qui eo per triennium munere fungitur: traditur præterea & Theologia, quæ mores respicit, & quæ ad scholæ palæstram attinet à Primario Vespertinoque Professoribus, Sacris interpretandis Biblijs alijs Moderator incumbit, quas insignes semper viri ornarunt Ipattas, quibus & alij Sodales strenui pro concionibus habendis, excipiendisque confessionibus accedunt præclaro animarum emolumento, nec minori utilitate Republicæ Litterariæ multos quotidie doctos inde viros colligentis, atque in Academiâ Mexicâ infulis redimientis haud vulgari Sapientum platu.

116. Multis præterea Alphonfus nominibus alijs de Ecclesia & Dicecesi sua benemereri pergens, plurima opulentis redditibus annuis, parco admodum pro suo familiaeque propriae victu contentus, piissime unâ liberalissimeque constituit, quæ & Dei cultum, & Provinciae decorem, & pauperum subsidium concernunt. Ut erga immaculatam Deiparentis Virginis Conceptionem singulari ferebatur amore, ejusdem Imaginem ex puro puto argento fabricatam Ecclesie suæ, quæ hoc cohonestatur ti-

rulo, dedit dono, pro ejus festo solenniori pompâ celebrando redditus destinavit, quibus pinguiores addidit pro singulis quadragesimâ Sabbatis, cantu, concione, & populi frequentia colendis in honorem eidem Deiparentis purissimæ. Ad hæc pro maritandis puellis dotes perpetuas, Beneficia fundavit pro initiandis Clericis, atque ut alia taccamus, sacris vestibus, vasis, suppellectili tam multa Cathedralē & pretiosa ditavit, quinquaginta ut argenteorū octo regalium millibus æstimeret.

117. Latè parentissimam Diocesim circumivit, multâ quidem defatigatione & molestiâ suâ, Dicecesanorum nullâ, ut in Guadalaxarensi ditione etiam usu tenebat: nam ulli ne gravis esset, aut videretur inurbanus, si quod illi munusculum pauperculi obtulissent, duplo illud humanissimè rependebat, à divitum abstinentis donis capiendis, omnium inhians animabus & salutis, atque semper Dei gloriæ. Hac de causâ latitanes in silvis & Oppidorum angulis idololatras (nec enim per id tempus, scilicet retracto ab hinc integro seculo & fere dimidio, funditus pestis illa fuerat eradicata) diligentissimè conquirebat, inventisque ferventissime prædicabat egregio fructu, quod peritiâ in idiomate Mexicano, doctrinæ, & spiritui authoritas Episcopalis robur & vires adderet. Pauperibus subveniebat largissimè, tantâque illos charitate prosequeretur, ut filios

amantissimus pareri. Certè tot pro ipsis alendis, tegendis, fovendis, sumptus fecit ubique, uti in eos & divinum cultum omnes expendit, quos Ecclesia ipsi suppeditaverant, imò plures; nam numeris putati excedere visi sunt dati acceptis, Deo facile providente, ut ditaret multis eum qui minime post aurum abierat.

118. Anno 1616. Novâ Hispaniâ, quæ feracissima est, laborante sterilitate, & non modò pauperibus fame vexatis, sed divitibus etiam molestijs affectis, Noster grandem in horreis summam indicij frumenti repositam ex provenibus Dignitatis habebat, quam si vendere corrente ea tempestate pretio voluisset, nempe septem aut octo argenteis uncialibus geminum medimnum, thesaurum sibi coacervasset argenti; ut celestibus tamen dumtaxat inhiabat, pro hisce quærendis totum in tabernas frumentum exposuit, pro egenibus, Indis potissimum, sine pretio donandum, pro alijs verò duodecim regalibus argenteis vendendum, hoc est, plusquam sex vulgaris pretij partibus condonatis, ut eo scribens ipso anno testis est citatus supra M. CISNEROS lib. 2. cap. 13. Quanto hinc Dei amore flagraverit conjicere est, qui eximia adversus Proximos charitati, zeloque religionis & fidei reliquas virtutes conjunxerit; quas inter eximia animi & corporis eminebat munditia, virginitas scilicet ad extremum usque illiba-

ta diem. Tanti subinde habitus, ut constans fuerit omnium opinio, si Summus Pontifex aliquem eo tempore ex Americanis adscribere vellet Purpuratis Ecclesiae Patribus, unum ad id honoris assumendum merito Alphonsum. Demum 16. Martij 1625. incredibili omnium dolore, corporis deposuit exuvias grata Deo anima, quae tamen caelum priusquam scanderet expiatorijs purgata flammis fuit, si fides habenda D. Josepho Gomez de la Parra, viro gravissimo, Angelopolitano, in Historia Foundationis & primi seculi Monasterij Carmelitarum foeminarum, è quibus vita insignis, visis quae illustres caelestibus Elisabeth ab Incarnatione Nostrum haud semel se vidisse audivisseque testata est deposcentem suffragia, quibus adjunctus poenas evaderet amarissimas, quas propterea lueret, quod languidius Dei visionem optasset: mirante verò foemina, qui subsidijs egeret, postquam orationes & Missas numero plurimas Fundatori suo Collegij Jesuitarum Patres, & alibi degentes, decem mille solvissent, Alphonsum reposuit, inscrutabili iustoque Dei iudicio isthaec omnia animabus subditorum suorum Purgatorium subeuntibus fuisse applicata. Quae cum legentibus timorem incutiant oportet, stimulos addant par est pro levissimis etiam noxis cavendis, quas tanto vir egregie Sanctus impendio solvit, donec auxilia cumulantibus Virginibus illis,

Patriam demum tenuit ecclestem Angelis associatus, qui Angelorum populum rexerat in terrenis. Corpus ejus celeberrima & funebri elatum pompa in Collegio quiescit à se constructo, atque sequens sarcophago incisum inibi legitur Epitaphium:

Illustrissimus

Dominus Dominus

Alphonfus de la Mora & Escobar,

Episcopus Tlascaltenfis,

Fundator hujus insignis Collegij,

Morta est, nam moritur,

Sed mens immota manebit.

Dum jacet hic Corpus,

Vivit & ipsa Deo.

Scriptisse, dum visitationi Dicec-
sis insisteret Angelopolitanae,

Itinerarium, Author testatur Allegationum pro Clero Angelopolitano hispanice excusatum fol. 73. num. 22. Scripsit praeterea

Historiam & Descriptionem Novae Galeciae, ejus Urbes, Portus, Indos vestigales aliosque exponentem, Marchioni de Sarria D. Petro Fernandez de Castro nuncupatam.

Servari Mss in folio in Regia Madritana Bibliotheca Authores sunt qui Occidentalem Antonij de Leon locupletarunt, tom. 2 col. 610,

Relationem perduellionis Indorum qui à Topia dicuntur, anno 1601. P. Torquemada edidit t. 1. Monarchiae Indicae lib. 5. c. 44. Qui praeterea Noltri memorias habet tom. 3. lib. 19. cap. 31 & 32. Ejusdem

dem

dem fecere mentionem, citati haecenus M. Villa, loco supra jam dato: M. Cisneros locis itidem indicatis: Gomez de la Parra dicto tomo, Notabili 11. pag. 125. & sequentibus. M. Aegydius Gonzalez in Theatro Ecclesiae Angelopolitanae, & P. Augustinus Bencurcius in Theatro Mexicano parte 4. Traactu de Urbe Angelopolit. pag. 51. num. 33 & 34. in quibus postremo nominatis duobus corrigendum occurrit, quod Alphonsum nostrum conditorem fecerint Xenodochij quodam stantis in Oppido Sanctae Fidei: non longe distit ab Urbe Mexici: item Palquarentis Valcutinarij & aliorum in Regno Michoacanensi, ac demum Collegij S. Nicolai Vallisoletanij, cum tamen omnibus hoc tempore notum sit, monumenta isthaec esse Clarissimi itum viri D. Vasco de Quiroga, primi eo in Regno Episcopi multis nominibus colendissimi, cui pro inde jure sunt vindicanda.

119 ILLMUS. D. ALPHONSUS DE MONROY, Natione Hispanus, Nobilibus Parentibus Hispani natus, Dignitate Mexicanus & munere Institutum Redemptionis captivorum B. V. de Mercede in Patria professus, Burgensem, Vallisoletanum, & Toletanum Conventus rexit, & Baeticae Provinciae Praefectus electus anno 1601. monumenta in patrio Cornubio reliquit insignia, adificatio praecipua ejus cavadio, Templicij augustioris parte, & devoto Beatissimae Dei-

parenti Sacello picturis ornato nobilibus, argenteaque lampade, adjecto imagini Virgineae aureo diademate, & pro ejusdem cultu redditibus annuis, quodque his praestat longè, impetratis ab Apostolica Sede gratijs pro Sacellum visitantibus, quas Romana Lateranensis Basilica S. Joannis aggregatis sibi locis communicare solet. Destinatus pro familia sua Vicarius in Regnis Peruvicis Generalis, dein universae, quae latissime patet Orbe toto, Religionis Mercedensis Praefectus renunciatus est, quo in munere suorum & virtutes promovit & literas, earumdem cultorum Mecenas & Pater. Hinc, clavum Regij sui ordinis ipso tenente, Reformatio emerfit, seu Recollectio, pro his qui austerioris vitae genus optarent, rigidioribus additis statutis, sub ejusdem tamen Instituti Mercedensis vexillo. Demum à Philippo III. Hispaniarum Rege praesentatus Episcopus pro Americanae Ecclesiae Portudivitensis, priusquam Apostolicas Litteras accepisset, è vivis excessit Hispani anno 1614. Scripsit

Constitutiones pro Reformatiis Ordinibus Mercedensis Sodalibus:

Quarum & Authoris meminere Aegydius Gonzalez Davila, in Theatro Ecclesiae de Portudivite, & Nicolaus Antonius, in Bibliotheca nova.

120 FR. ALPHONSUS MONTERO, Natione Hispanus, in Castella natus veteri, novum se in

Or-

Orbem transtulit, & Mexici in Provincia S. Jacobi Ordinis Prædicatorum Instituta complexus, ad SS. Rosarij Philippinarum Apostolico zelo ductus commigravit, in qua exaratam reliquit hispano sermone

Narrationem historicam miraculorum, qua in primordijs Ecclesie Matritensis, & qua huic subsunt, aliarum operatus est Deus.

Cujus meminit Aduarte in Historia ejusdem de Rosario Provincia, lib. 1. cap. 23.

121 ILLMUS. D. M. ALPHONSUS DE MONTUFAR, Natione Hispanus, Logiæ natus anno Domini 1489 pie & liberaliter educatus, adeo à teneris inhiavit statui religioso, ut ea ipsa die, qua ætatem pro nuncupandis votis explevit, solennem ediderit professionem in Conventu S. Crucis Granatensium Prædicatorum Ordinis. Dein tanto cum ardore ingenio que studijs incubuit, ut non multo post Lector Philosophiæ Theologiæque fuerit renunciatus, quo in munere egregij partes explevit Magistri, ut propterea lauream pro Ordinis statutis & usibus reportaverit. Consultebatur frequentissime in gravibus, quæ occurrerant, negotijs, cum in Regia Cancellaria, tum in Cathedrali Ecclesia, & apud S. Inquisitionis Tribunal, cujus inter Censores electus fuerat. Audiendis confessionibus facris se dedit, à multis nobilibus, doctis, & alijs conscientiæ moderator expectitus & habitus. Semel

& iterum regendo proprio Cœnobio Prior datus, haud vulgaris prudentiæ specimen obtulit. Quis Carolus V. motus Archiepiscopum Ecclesie Mexicanæ delegit, qui nuper vita functi sanctæ memoriæ JOANNIS DE ZUMARRAGA ejusdem Ecclesie conditoris, vestigia, Apostolica certe, premeret. Anno 1553. Catholico ritu inauguratus socijsque ejusdem Instituti duobus adlectis, litteris conspicuis & virtutibus, oceano se tradidit, faustèque ad oras Mexicanas appulsus, demum in Urbe, ceu communis Pater exceptus, omnium commodis providere attentissime cœpit, & verò etiam ad mortem usque sanctè providit.

122 Indos plurimos suis ipse manibus sacro abluit lavacro, cum ex his qui diaboli fraude decepti, de die in diem eo initiari procrastinaverant, tum etiam ex alijs, quibus in tanta multitudine non dum lumen affulserat. Sacramento Confirmationis difficile dictu est quantos inunxerit. Eleemosynis miseris adjuvabat, fontes junctâ severitatis mansuetudine corrigebat, omniumque salutem nunquam non vigilabat. Annis quamquam multis gravatus, Diocesim, vastissimam quidem & pluribus locis asperrimam, lustravit tamen, oves invisens, & interpretibus usus docens, Parochos admonens, pro ut rerum poscebat status, nihil que quod ad Indorum spectaret salutem omittens. Erecta recens fuerat Universitas Mexicana, quæ

è re sua judicans communem Parentem, Magistrumque in Theologia doctissimum, in suum gremium adsciscere, in pleno Doctorem Consessu (jam enim bene multi coaluerant, ut supra in Academia Mexicanensis diximus) 28. Augusti 1554. præsentemque Novæ Hispaniæ Pro-Rege D. LUDOVICO DE VELASCO, viro clarissimo, collatijs suffragijs decrevit, ut condonatis sumptibus omnibus, Illustrissimus se illis Archipræsul Doctorem conjungeret, cooptatusque inter Theologos non modo antiquioribus, sponte ijs cedentibus, præiret, verum etiam Cancellarium ageret, quo usque aliud Catholico Regi placeret. Sane, ut erat Alphonsus amantissimus litterarum, maximi fecit honoris id & officij munus, pro quo deinceps implendo candidatus omnium Facultatum ab Academia jure probatos, Licentia, ut dicitur, & Doctoratus infulis Magistris & Doctores creare pertexit, studiosis subinde mirâ alacritate excolentibus litteras tanto stimulari forique Mecenate: Quæ bono in lumine collocavit D. FRANCISCUS CERVANTES SALAZARUS, primus Rhetorica Antecessor, qui suos politissimos Dialogos perpulchra eadem consignavit Nuncupatoria, cujus quia rarissimus est Codex, fragmentum transcribimus.

123 Clarissimo & eidem omnibus animi bonis ornatisimo sacra Theologia Magistro Fr. Alphonso à

Montufare, Archipræsuli Mexicano. Paulo ante quam in hanc Provinciam optatissimus certe, conmeasses, Antistes præstantissime: Academia Mexicana, qua beneficio & liberalitate Cesaris erecta est, & in qua ipse dicendi rationem regio stipendio trado, Commentaria in Vivis exercitationem alumnus Matri dicavi, quod nihil tam ex officio fore putarem, quâ ipsi, à qua & alius & educatus sum, quantum in me positum esset, referre paria. Nunc autem felici tuo adventu, qui deinde secutus est, ita & eorum qui enarrant, & eorum qui disciplinas audiunt, animi novis quibusdam aculeis incitatus sum, ut novas vires novasque spiritus sumant, quo alacrius & propensius, hi in discendo, & illi in docendo ulterius pergant: brevi omnes tales evasuri, ut novum hunc Orbem, diaboli & infidelium antehac sedem, omni macula purgatum, Deo Maximo & Vero domicilium faciant. In his ego, etiam si meritis postremis, non minus animatus sum, quod solent milites fortissimo & felici duce pugnante, ut aliquid non omnino indignum luce pararem. Quæ propter, tam & si gravioribus studijs, Theologicis scilicet, addictus essem, dum maiora molior, nihil antiquius duxi, quam Dialogos hos, quos successis horis institutum Vivis secutus in rem studiose juvenutis conscripseram, Tibi uni hac in Regione studiorum Fautori & Mecanari consecrare. Alijsque adjectis colophone imponit, Bene vale Mexicana Ecclesia columen, Academia decus, & novæ Hispaniæ maximum ornamentum. Hactenus Academicus

vir Opere excusso eo ipso anno 1554. quo Archiepiscopus nobilitate Academice cæperat, inter que ejus Doctores censeri.

124 Multa quidem id temporis Nostri curas sollicitabant, quæ ut, maximam partem, expediret, Concilium Provinciale indicare decrevit, quod sequenti anno 1555. & inchoatum & absolutum fuit, typisque descriptum Mexici à JOANNE PAULO LOMBARDO, qui primus ipsa in Urbe Typographus fuit. Quoniam autem de Concilio hoc & cæteris Mexici celebratis fusior pro rei dignitate suo infra loco, verbo *Concilium*, sermo erit, actis nunc ejus superscedemus. Elapso decennio, aliud jungi Concilium Mexici curavit, cujus in Comitibus potissimum actum est, ut Sanctum Oecumenicum Tridentinum, quod anno 1563. absolutum jam fuerat, atque toto Orbe Catholico suscipiendum & observandum, in his etiam America Regionibus recens ad Christi ovile aggregatis, publicatione cunctis innotesceret solemnissima, in moresque & praxim Decreta ejus, Canones, & Doctrina sanctissime inducerentur: Quæ in finem 28. in hacce Synodo Constitutiones editæ sunt, Tridentinumque Generale palam omnibus observandum propositum anno 1565. pro ut deinceps semper fuit religiosissime custoditum. Et de hoc etiam Mexicano, quod Mss vidimus legimusque, indicato nuper loco dicemus. Noster his

aliisque functus multis, septuagenarius propè cum esset, auxilio que egeret subinde, Gubernatorem Archiepiscopatus alciviv Sodalium suum virum doctissimum BARTHOLOMÆUM A LEDESMA, Universitatis Mexicæ Primarium Theologiæ Antecessorè, qui duodecim annis in regimine ditionis juvit Alphonsum, hocque præcipiente egregiam conscripsit & edidit Summam de Sacramentis. Quod autem in Provinciali Mexicano Concilio de anno 1555. cautum erat, cap. 4. ut pro uniformi in docendis Indis rei Christianæ ratione Catechismi prodirent gemini, alter brevior, fusior alter, qui in multas Regionis Linguas versis, quibusvis obvii essent & prompti, hanc alijs Dominicanis Patribus operam injunxit, qua illi defuncti, doctrinam, & preslo & largiori tradiderunt stilo, typisque vulgarunt. Pariter, cum ejusdem altera Concilij sanctione 67. cap. cautum fuisset, uti pro ministrandis Sacramentis Manuale caderetur, cunctis unum Ministris futurum, hanc Noster provinciam commisit JOANNI BUSTAMANTIO, Augustiniano, & JOANNI DE SALCEDO, tunc Baccalaureo, dein Doctore egregio, quo de plurà suo loco: Ejus quod ad præsens attinet, juvat Epistolam afferre Manuali præfixam edito Mexici in Officina Petri de Ocharte 1568. quod Alphonfi zelum, cæterasque virtutes subindiceret. Et ita illa habet, adduciturque

que hic, quod rarus admodum ciam sit Liber.

125 *Joannes de Salcedo, sacro Diaconatus ordine insignitus, in jure canonico Baccalaureus, Christiano & merito Lectori sinceram in Domino optat felicitatem. Est fuitque semper colendissimi nostri Archiepiscopi in oves custodia sue commissas adeo acris vigilantia, hujusmodique studium, ut noctes diesque nihil aliud ageret, nihil aliud cogitaret, quam quo pacto animarum æternæ salutis diligentissime prospiceret; tuncque suis rationibus consultum impense existimat, cum suis est ovibus ex animi provisiis, quod vel ex hoc perspicias, benignissime Lector, quod ad Sacramenta ministranda Manualia (sic enim vulgò vocant) desiderari rarus, ad hæc animadvertens, quæ Sacrosancto Concilio Tridentino in Sacramentorum administrationem statuta leguntur, Fratri Joanni Bustamantio designato, mihi que tamen (quod ingenue fateor) enerudito illiteratoque viro, hujus Manualis examen duxit committendum, fecitque copiam, ut quæ necessaria nobis fore viderentur suis in locis non vereremur adjicere, ea præsertim quæ in Sacra Tridentina Synodo definita deprehenderemus, rejectis ac sublati e medio, quæ de jure antiquo minime hodie observantur: Parvum libenter &c.*

126 Parcimus his quæ in Epistola subsequuntur, alibi forsan convenientius transcribendis, quædoquidem eo hætenus exarata consilio tradidimus, quod Alphonfi conatus erga sibi commissos populos palam offerant. Bonus cer-

tè Pastor suis ita ovibus vigilavit, ut sibi interim haud dormiret, in tanta licet positus Dignitate, religiosi vitam exacti servans, quo ulque diuturnâ purgatus agritudine, obiit in Domino die 7 Martij anno 1569. ætatis octogesimo, regiminis Mexicæ Diocesis 17 sepultusque fuit, prout ipse in supremis ordinaverat tabulis, in Cœnobio Dominicanorum Imperiali Mexiceo, in quod gravissimâ deductum fuit pompâ, & totius Civitatis in funere dilectissimi Parentis mortificiâ. Scripsit, quod sciamus, patrio sermone

Alphabetum seu Regulas in Choro Ecclesiæ Metropolitana Mexicæ servandas.

Mexici tertium editas 1710. quæ usu hodieque tenent, sanctè que servantur, in octavo.

Proœmium ad Concilium Provinciale Mexicanum.

Cujus id circo mentionem facimus, & si folium non impleat, quod tanti viri etiam fragmentum multi sit habendum, & unguis instar Leonem subindicantis. Cætera quæ in Concilio uno altero que leguntur, ijs qui ea scribere suis locis reservamus. Alphonfi vitam complexus est brevi & succulento cap. 47. lib. 2. Historiæ Provinciæ Jacobæ Mexicæ Illmus. Davila: Accedit Egidius Gonzalez Davila, in Theatro Ecclesiæ Mexicanensis. Meminerunt ejusdem Bétancurtius in Theatro Mexicano part. 4. tractatu Urbis Mexicæ p. 23. n. 112. Et quod

res spectat. academias Plaza in Chronicis lib. 1. cap. 13. num. 135. & cap. 17. n. 161.
 127. ILLMUS. D. ALPHONSUS DE MUÑOZ, Natione Mexicanus, claris sanguine genitoribus Mexici natus, apprimeque eruditus, tanto plausu in Sacra Theologia Doctor est creatus in Mexicancensi Academia, ut non multo post ejusdem regendis Cathedralis fuerit admotus, donec omnium tenuerit apicem Primariam Theologiæ. Hanc aliasque postquam totos viginti sex annos moderatus egregie fuerat, & viginti quidem spatio annorum Antecessorem Perpetuum egerat, ut statutis cautum est pro eo qui Emeriti honorem eximium optaverit, id tandem decretum fuit Nostro à Confessu academico die 23. Augusti anno 1613. nec sine multa laude, quam ob præclare navatam operam promeruisse, Judices ipsi testati fuere. Cæterum & si eo in primis privilegio gaudeant Emeriti, ut quiescere deinceps possint, & emolumenta percipere, cum retroacti fructus vicenarij laboris, eo Noster uti decretauit, quotidianasque prælectiones intermisit numquam, quo usque ægra præpedius valetudine Regens ipsi iussus est vir amplissimus D. ALPHONSUS DE CUEVAS DAVALOS, qui Archiepiscopus Mexicanus evasit, ut suo scriptum loco. Noster quod peritiæ in Theologia summæ, haud vulgarem in rebus gerendis pru-

dentiam conjunxerit, virtutibusque & moribus fuerit conspicuus, multis etiam fuit auctus honoribus, Academia ipsi Pro-Cancellario datus est, & Canonicatu & alijs in Metropolitanâ Ecclesiâ dignitatibus fuit, primamque Decanatus emeruit, è qua in Ecclesiam Chiapensem Episcopus à Rege Catholico destinatus, atque à Sede Apostolica electus, priusquam sacrari pro Pontificali munere quiverit, diem obiit extremum. Scripsit quidem multos

Ad Scholasticam Theologiam Spectantes Tractatus, quos tamen indicare signatius impedit qui tenuerat ea ætate mos, parum equidem accuratus, quo de meminimus in V. Alphonsus de Cuevas Davalos. Harum Lectionum, ut dicunt, Nostri multa cum ejusdem laude Plaza scripsit in Chronicis Universitatis lib. 3. cap. 16. n. 80 & 163. Ipsum præterea commendant M. Petrus Salguero, Augustinianus, in vita V. M. F. Didaci Basalenque fol. 10. col. 2. Balthasar à Medina in Chronicis Nudipedum Provinciae S. Didaci Mexicanæ fol. 239. col. 2. Aegydius Gonzalez Davila, in Theatro Ecclesiæ de Chiapa fol. 200. Author Allegationum pro Clero Angelopolitano fol. 80. col. 2.

128. F. ALPHONSUS DE NOREÑA, Natione Hispanus, Patriam, ut conjectura est Criticorum qui Scriptores Prædicatorum Ordinis adornarunt, in Urbe No-

reña Ovetensis Diocesis in Asturibus, Domicilium tandem in regione Mexicanensi sortitus fuit. Apud Pincianos Jurisprudentiæ operam dedit ante quam nomen Dominicanis, quibus ibidem professione se adjunxit. Sacro Diaconatus ordine initiatus, F. BARTHOLOMEO DE LAS CASAS, ejusdem Ordinis viro clarissimo, Episcopo Chiapensi, Apostolicos milites conscribente pro nuper Ecclesiæ dedit illius regionis Indis, eis qui se itineri accinxerant socium se addidit anno circiter 1544. Eo apulsus, & in Provinciâ S. Vincentij adoptatus, idiomatibus addiscendis conatus & ingenium applicuit, tanto quidem fructu, ut præter Mexicanum, tria, ut minimum, exactè callerit, loquereturque expeditisimè. Nec propterea Theologicis se studijs subduxit, imò eximios ea potissimum in parte progressus fecit, quæ ad dirigendos mores spectat, quod excultus utriusque sanctionibus juris late patentissimam Facultatem ubèrius cursarit & fuffius. Socius Vicarij Provinciae F. THOMAE DE CASILLAS, qui ad infulas dein Chiapæ promotus fuit, regendis & ipse Cænobijs varijs admotus Dèffinitorque in Comitijs multis electus, demum in his quæ Goatemalæ coacta sunt 18. Januarij anno 1580. Provinciae caput renunciatus, diligentissime eidem invigilavit. Vir erat sane doctissimus, adeo ut in arduis quibusque negotijs Indiarum con-

suleretur, allegareturque non sine laude ab id temporis scribentibus, & posteris etiam, quamvis nulla typis vulgarit opera, multo in pretio habitus ejusdem Mss à nobis recenlendis.

129. Nec religiosæ observantiæ vitæ minus erat conspicuus, ut subinde ardens unâ & lucens omnium in se amorem pertraxerit, Indis, quorum saluti egregie prospexit, acceptus, Hispanis haud ingratus, dignusque qui, Ecclesiâ Chiapensi vacante obitu nominari supra CASILLAS, ipsam rexerit toto septennio ab anno 1567. ad usque 1574. annuente Capitulo, Catholicoque Rege indicante, quo usque ILLM. PETRUS DE FERIA Episcopus ei fuerit datus. Hinc delusus AEGYDIUS GONZALEZ DAVILA, in Theatro ejusdem Ecclesiæ fol. 195. ejus inter Prælatos Alphonsum cenlet, qui tamen id muneris haud obtinuit, ut animadvertunt Scriptorum Ordinis Prædicatorum Collectores accuratissimi, anno 1590. p. 295. satisque sit liquidum non a silentio tantum diligentissimi Remessalis, qui ejus acta assert in Historia dictæ Provinciae pp. 697. & 698. sed ex his clarius quæ de ejusdem morte tradidit ibidem. Annis siquidem provecus, in Conventum Civitatis regalis, quæ primaria est regionis, recepit se, libris vacaturus legendis scribendisque, per inde quasi vegetæ & florentis ætatis. Gravi tandem pressus infirmitate ad proximam